

17

1. N

2 *

3. /

4. -

5. .

6. .

154
1776,29.
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I
A N
P R I V I L E G I A C O N C E S S A
T I T V L O G R A T I O S O M O R T E
C O N C E D E N T I S E X S P I R E N T

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.

E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B V R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

D I E X I I. F E B R V A R. A N N O C I S C C L X X V I.

D E F E N D E T

A V T O R

W I L H E L M V S G O T T L I E B S A M V E L S T R E V B E R

Q V E R F V R T H. S A X O.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.



A N
PRIVILEGIA CONCESSA
TITVLO GRATIOSO MORTE CONCE-
DENTIS EXSPIRENT.

§. I.

Leges in republica aduersus singulas personas ferre in eo-
rum odium SOLONI licitum esse haud videbatur, forsitan
in republica, in qua ob democratias rationem perfecta ciuium
aequalitas eiusmodi Legibus in odium latius turbaretur. De-
cemviri ob easdem, vt videtur rationes, idem suis prohibere
legibus non dubitarunt, ne priuilegia videlicet ferantur, Teste
CICERONE *de LL. III. c. 4. et 19.* In fauorem personae vero legem
ferre nunquam illicitum visum fuit, nec Graecis, nec Romanis.
Mutata vero republica, vbi nimicrum Romanum impe-
rium Monarchicum factum, non amplius ipsi Imperatores hac
Decemvitorum obligatione se teneri autumarunt, quid quod,
quo exemplo alios emendarent, praeter ordinem interdum
aliquid in personae odium statuere, vt ex priuilegio Vmbriae
Matronae satis appetat, quam Imperator Hadrianus deportan-

* 2

dam



dam censuit, quae leuissimis ex causis nimiam in seruas suas exercebat facutiam. Enata hinc est trita illa diuisio in priuilegia *odiosa et fauorabilia*.

§. II.

Contraria vero, quae iniquitatis notam difficillime effugiat, eorum est opinio, qui omnia per aequa priuilegia esse fauorabilia, simulque odiosa arbitrantur: Scilicet ratione eius qui impetrasset, cuiue datum esset, priuilegium fauorable, econtrario respectu reliquorum conciuium odiosum fore. Sed quis est, qui adeo in diuisiobus examinandis pariter ac diuidicandis procederet! Facta est haec diuisio ab arguento, quod continebat priua illa lex, vnde ergo explicationis ratio a personis, quibus concessum et non concessum est, sumi potest. Quamuis vero concedam, hodie rariorem odiosorum priuilegiorum compellationem solere obuenire, tamen obinde, non est confundenda haec priuilegiorum diuisio, quae adeo in §. 6. I. de Iur. Nat. Gent. et Civil. fundata. Fauorabilia continentur verbis: *quod alieui ob meritum indulxit*, vel *si cui sine exemplo subuenit*. Odiosa contra exprimuntur verbis: *vel si cui poenam irrogavit*.

§. III.

Quod vero priuilegium inter leges referendum, facile patet ex eo, quod nemo, nisi folus legislator seu maiestas facultate ac iure gaudet concedendi priuilegia. Cum vero, quem sui beneficii modum habere velit, principis concedentis ius est, orta exinde alia priuilegiorum diuisio in ea, quae ex titulo gratioso conseruntur, alia, quae titulo onerooso conceduntur. Ad ea, quae onerooso acquiruntur, illa referunt, quae ob bene merita conceduntur, quod est apud BOEHMERVM in *Introd. in Ius Digest. L. I. Tit. IV. §. 8.*, qui et STRYKIVM, allegat in *Diff. de priu. Titulo oneros quae sit*. Equidem negare non ausim, remuneratorium priuilegium quodammodo

dammodo comparari posse cum donatione remuneratoria, quae non omnino videtur esse liberalitas sine causa, tamen non omnino ad onerosa priuilegia referri semper arbitrarer, quia praeter bene merita adhuc princeps concessurus priuilegium, aliquid praestandum dandum exigit; quod ab eo distinguendum remuneratorio priuilegio, quod ex solis bene meritis in compensationem princeps concessit, nulla alia praestatione praeterea exacta.

§. IV.

In decidenda vero quaestione, an priuilegia reuocari possint, pro arbitrio variant, ut solent, qui de illa scripserunt, nec nostrum erit omnia, quae hic dici possint, coacervare. BOEHMERVS cit. loc. distinguens inter gratiosum, et conventionale, seu ut explicat onerosum, hisce vtitur verbis: *Differunt in effectu, quod hoc aegre reuocetur ob patrum, quod etiam Principes stringit, imo et successores, illud facilius.* Adducit consentientem STRVVIVM in Exerc. II. Th. 30. Sed si, quod verum, dicendum, quo argumento haec BOEHMERI STRVXII que adserita nitantur, non video. Evidem huic sententiae adstipulor, si de facto Maiestas concessum priuilegium reuocare velit; vix subdito competer remedium, quo tuto uti possit contra principem, quo minus priuilegium reuocare possit praeter supplices preces. Cedendum magis potentiae Maiestatis et ferdum, quod mutari nequit. Nec tunc distinctione opus, an gratio, an onerofo titulo obtinuerit, et sane quod LVDOVICI Doctr. Pandect. L. I. Tit. IV. §. XI. ex MYLERO de princip. et statib. Imper. L. II. c. 49. §. 15. statuit, si reuocetur titulo onerofo acquisitum, pretium solutum restituendum ei fore, qui fratribus privilegii cariturus est. Sed velim actionem nominasset, qua subditus esset experitus contra Maiestatem pecunias pro privilegii concessionē datas non restituentem. Vbi de facto semel dicendum, cuncta sunt licita, et licitum erit, si ni-



hil restituat, iam reuocans, fructibus priuilegii carituro. At vero nos non, quid facturus sit princeps, quaerimus, qui haec suae conscientiae remittimus, sed quid iuste facturus sit, et ita sententia LUDOVICI vera principisque iustitiae adaequata videtur, si nimirum reuocandum sit priuilegium concessum, etiam quod datum erat, esse restituendum.

§. V.

Quae cum ira sint, distinguendum esse arbitror, an iusta revocationis causa ad sit, nec ne. Si iusta adsit causa reuocandi priuilegii concessi, veluti, quod aliorum iuribus perfectis vim infert, quod utilitati publicae aduerteretur, recte reuocabitur priuilegium sive gratioso titulo, sive oneroso acquisitum datumue sit; quippe, si aliorum iuribus perfectis vim infert, subditus destituitur iure acceptandi priuilegium; si utilitati publicae contrarium, nec tunc a subdito acquiri debebat, qui potius, ut subditus, obligatione tenebatur, sua in communem publicamue utilitatem conferre. Verum enim vero an absque iusta causa et pro arbitrio reuocari possit a concedente, distinguendum putem. Non moneo de oneroso titulo acquisito privilegio, ex solo concedentis arbitrio non reuocando, quippe in eo, quod reuocari non possit, consentiunt docti homines. Tantum de gratioso. LUDOVICUS cit. loc. gratiosa putat comparari posse cum precario iuris Romani. Sed forsitan non attentus fuit ad causam precarii iuris Romani. Precarium enim apud Romanos erat pactum nudum, cui deerat civilis obligatio, cum hoc iure naturalis tantum obligatio constans ius producere non posset, ni ius civile ei adfisteret. Reuocandi itaque precarium concedenti nullo non tempore ius competebat. Sed quid haec romani iuris habilitas ad principem, qui non ciuili, sed naturali iure iudicandus. Sit ergo interim gratioso titulo concessum priuilegium cum precario comparandum, sine dubio precarium non nisi vtriusque consensu et concedentis, et cui da-



Datum est, et sic pacto initur, quod si itaque in gratiose pa-
ctum deprehenditur, falla est BOEHMERI adserio, onerosum
tantum non reuocari posse ob pactum, quo et principes te-
nentur, ea enim ratio, quae est in oneroso et valebit in
gratioso priuilegio. Sit liberalitas ergo principis, at pacto acci-
pitur. Vbi ergo donatio principis irreuocabilis est, ita pri-
uilegium ex liberalitate concessum aequae irreuocabile erit, si
de iure statuendum erit.

§. VI.

Secus vero, si a principe concessum ad solum beneplaci-
tum priuilegium, eamque reuocandi licentiam sibi reseruauit
princeps, quod vero non praefundendum, hinc exprimendum;
tunc, quoquaque titulo acquisitum ius reuocandia principis de-
pendebit arbitrio. Titulus enim diuersus dummodo ad acquiren-
dum ius habilis, in acquisito vero iure nullam diuersitatem
producat. Quis adferat aliud ius ex emto acquiri, quam ac-
quiritur ex donato. Hanc quam ius Canonicum latius de pri-
uilegiis, quam ius Ciuile, notauit distinctionem, ob-
seruasse vidi MENCKENIUM in *Theor: et Praxi Pandect. L. I.*
Tit. IV. §. XI. *Poenitentia,* inquit, *concedentis extinguntur,*
si vel sub Clausula de reuocando, vel ex mera gratia ad benepla-
citum concessa sint.

§. VII.

Hanc ergo distinctionem ad nostram iam applicemus
quaestionem. An videlicet priuilegium gratiose titulo con-
cessum exspiret morte concedentis. Si per pactum pure con-
cessum sit priuilegium gratiose titulo acquisitum, recte adserue-
rat BOEHMERVS, pacta principes et adeo suecessores obligare.
Addo causam. Maiestas est qualitas, quae non moritur, nisi
extincta ciuitate, licet persona qualitate Maiestatis gaudens mo-
riatur. Redit ergo Maiestas, quae priuilegium concesserat,
vel ad populum in regno elecione, vel transit in Successorem.

Haec



Haec vero Maiestas pacto obligata erat, nec desinere potest esse obligata, licet subiectum, cui inerat desineret esse inter mortales; necesse itaque, ut in successorem maiestatis transeat obligatio. Qua propter sequitur, priuilegium licet titulo gratioso acquisitum, maiestatis enim in arbitrio positum, an liberalis esse vellet in eo concedendo, morte concedentis de iure exspirare non posse, sed pactum stringere successorem, quippe nec revocari poterat. At si priuilegium sub clausula de reuocando concessum, vel ad beneplacitum; tunc nemo est, qui dubitat, ad suam personam respexisse principem, cui maiestas inest, et hinc cessare debere morte concedentis priuilegium, quippe eius beneplacitum morte exspirat, in mortuo enim consensus amplius frustra quaereretur. Consentientem habeo MENKENIVM qui cit. loc. ait. *Exspirat priuilegium morte concedentis; qui ea concessit, quam diu illa voluerit c. 5. de Rescript. in Vito, non regulariter c. 16. de Reg. Iur. in Vito et c. 77. de Reg. Iur. in Vito.* Et recte non distinguit, an gratioso, an onerofo titulo datum, dummodo ad beneplacitum datum priuilegium.



Leipzig, Diss., 1776 A-G



TA-70L

auf 34 Steck bisher verku."

V D
18



1776, 29.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
**PRIVILEGIA CONCESSA
TITVLO GRATIOSO MORTE
CONCEDENTIS EXSPIRENT**

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PUBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.
SOCIO
IN AUDITORIO IVRIDICO
DIE XII. FEBRVAR. ANNO CCCCCCLXXVI.
DEFENDET
AVTOR
WILHELMVS GOTTLIEB SAMVEL STREVBER
QVERFVRTH. SAXO.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

